

petita ex prerogativis hujus visionis, proponitur conclusione sequenti.

Dices cum Nominalibus. Attributa, quæ dicunt respectum ad creaturas, ut sunt omnipotentia, scientia, idea, &c. non possunt cognosci quidditative, nisi cognoscantur eorum termini; atqui eorum termini non cognoscuntur a Beatis: ergo. Prob. Min. Termini eorum sunt infiniti, nimirum omnes creaturæ possibiles: ergo.

R. D. Maj. Attributa, quæ dicunt respectum ad creaturas, non possunt quidditative cognosci, nisi cognoscantur eorum termini formales & primarii, C. Maj. Termini materiales, & secundarii, N. Maj. Et ad hunc sensum distincta Minor, N. Conseq. Ut igitur cognoscantur quidditative hujusmodi attributa, non est necesse, quod cognoscantur eorum termini materiales & secundarii, qui sunt omnes creaturæ possibiles in particulari; sed sufficit, quod cognoscantur eorum termini formales & primarii, ut est respectu omnipotentiae ratio entis creabilis ut sic, respectu scientiae ratio entis scibilis ut sic, &c. sicut, v. gr. ad cognitionem quidditivam materiae non est necesse, quod cognoscantur omnes formæ in particulari, quas recipere potest, sed sufficit cognoscere rationem formæ informativæ ut sic.

Instabis: Attributa, seu saltem ideæ in Deo sunt infinitæ: ergo.

R. Neque ideas, neque attributa in Deo esse realiter plura, sed simplicissimam Dei entitatem: ideæ quidem dicuntur plures non re, sed ratione dumtaxat, nihil enim aliud sunt quam divina natura cognita a Deo, ut diversimode, & infinite participabilia.

Utrum verò de potentia Dei absoluta fieri possit, ut Beati videant Dei essentiam, non visis attributis aut personis, celebrior est questio inter Theologos, majori æstu quam fructu agitata, & quam tamen pro more Scholæ discutendam suscipio. Pro quo.

Dico 2. Implicat, essentiam divinam videri a Beatis sine attributis & personis, attributa aut personæ sine essentia, unum attributum sine altero, & unam personam sine altera.

Est communis contra Scotistas, quorum fundamentum est distinctio formalis, quam committuntur inter essentiam divinam; attributa & personæ. Scotistas pauci assentiunt.

Esse D. Thomæ colligitur ex 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. ubi dicit: *Summa bonitas Dei secundum quod intelligitur in seipsa, prout videtur a Beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum.* Et 3. p. q. 3. art. 3. o. *Intellectus dupliciter se habet ad divina, uno modo ut cognoscat Deum sicut est; & sic impossibile est quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, & quod aliud remaneat, quia totum, quod est in Deo, est unum, salva distinctione personarum.* Quæ verba præbent fundamentum probationibus sequentibus. Igitur

Ratio fundamentalis, quam adhibere solent Theologi, petitur ex triplici prerogativa hujusmodi visionis, & sic proponitur. Cognito Dei in Beatis est intuitiva, quidditativa, & beatifica; atqui ex hoc triplici capite repugnat, essentiam divinam videri a Beatis sine attributis, personis, &c. Ergo. Major est certa.

Prob. 1. pars Minoris. De ratione cognitionis intuitivæ est, quod videat rem sicut est in se subsistens, & existens a parte rei secundum omne, quod potest cadere sub objecto talis cognitionis; ideo enim dicitur intuitiva, & per hoc differt ab abstractiva; atqui Deus est in se a parte rei unus, trinus, justus, misericors, sapiens; & hæc omnia cadunt sub objecto cognitionis intellectivæ: ergo.

Prob. 2. pars Minoris. De ratione cognitionis quidditivæ est, quod attingat omnia, quæ pertinent ad essentiam rei; atqui attributa & personæ pertinent ad essentiam Dei ut est in se; Deus enim est essentialiter justus, misericors, &c. item est essentialiter Pater, & Filius, &c. cum tam attributa quam relationes essentialiter identificentur in essentia divina, ut vidimus supra dùm de distinctione Scoti: ergo.

Prob. 3. pars Minoris. 1. Quia cognitio quatenus beatifica debet esse intuitiva, ut omnes lateatur; atqui, ut probatum est, de ratione visionis Dei intuitivæ est, quod videat essentiam Dei, attributa, & personæ: ergo. 2. De ratione visionis rationalem Beati; atqui Beatus, videns divinam essentiam, rationaliter appetit videre attributa & personæ: ergo. Prob. Minor: qui videt essentiam aliquam, naturaliter desiderat videre ejus proprietates, & modum, quo subsistit & existit; atqui attributa sunt veluti Dei proprietates, & existit in tribus personis. 3. Quia si, visa Dei essentia, aliquid, quod est in Deo formaliter, lateret Beatum, lateret & non lateret summum bonum: non lateret, quia videt divinam essentiam; lateret, quia illud, quod non videret, est etiam summum bonum indistinctum ab essentia, utpote actus purus, ac proinde continens actu formaliter omnem perfectionem.

Confirmatur Conclusio: Deus est actus purus carens omni compositione & parte: ergo implicat, clarè, & intuitivè videri aliquid Dei, & non videri totum quod est in Deo. Prob. Conseq. Illud aliquid, quod videretur, vel esset actus purus, vel potentialitatem habens: si habens potentialitatem erit ens creatum, & non Deus, nec perfectio divina: si sit actus purus, ergo videtur ut ens a se, & omnem continens perfectionem, sique totum quod in Deo est videtur, quia actus purus ad nihil est in potentia, sed omnem perfectionem actu continet. Et sic idem est clarè, & intuitivè videre unam personam aut unum attributum ut est in se, & id est ut actum purum, & videre totum, quod est in Deo.

Videris, ut monui, has rationes fundari in his paucis verbis D. Thomæ, quod *Beati vident Deum sicut est, & quod totum quod est in Deo sit unum.* Vides insuper, nostram conclusionem procedere de visione clara & intuitiva Dei, sicut est in se & in re. Alioquin intelligendo generaliter de visione seu intellectione, nihil repugnat Deum videri seu intelligi obscure, & imperfectè secundum aliquid, & non secundum totum.

Solvuntur objectiones.

Obijces 1. Visio divinæ essentiae in Beatis, non visis attributis aut personis, non implicat, neque quia est beatifica, neque quia est intuitiva, neque quia est quidditativa: ergo ex nullo capite implicat. Prob. 1. pars Ant. Essentia Divina sine personis remanet adhuc summum bonum, & finis ultimus, ideoque objectum beatificans: ergo non implicat, quia est beatifica. Prob. Ant. Essentia divina non habet a relationibus, quod sit summum bonum, & finis ultimus, sed ex hoc quod sit actus purus, & ens per essentiam, quod totum est ab essentia absoluta: ergo. Prob. 2. pars primi Antecedentis. Potest videri intuitivè color aliquis, & non videri omnia prædicata generica, puta, ratio communis qualitatis, inhaerentiae, &c. Qui tamen ipsi coloris identificantur: ergo non implicat, quia est intuitiva. Prob. 3. pars primi Antecedentis. Ut sit visio quidditativa alicujus essentiae, non debent necessariò cognosci ejus proprietates, cum non sint de ejus formali conceptu: ergo non implicat, quia est quidditativa. Ita P. Henno cum aliis Scotistas.

R. N. Ant. ad 1. probationem, D. Ant. cum Joanne a S. Thomæ. Essentia divina non habet a relationibus quod sit summum bonum, & hoc habet sine illis, N. Ant. Et hoc non habet sine illis, C. Ant. Ex eodem enim principio, ex quo est summum bonum (quia scilicet est ens a se & actus purus) ex eo est infinite fecundus, & communicabilis ad intra, consequenter trinus in personis; & cum sit de ratione visionis, quia est beatifica, ut videt Deum ut est in se, ut probavimus, implicat quod videat Deum sine personis.

Ad 2. probationem, N. Conseq. Disparitas est, quod ratio communis qualitatis aut inhaerentiae, & similes, non sint objectum visus corporei; unde non est mirum, si illas non attingat: at verò attributa Dei, & relationes non sunt minus objectum intellectus beati, quam essentia, cum sint ens & actus purus, non secus ac essentia. Alia disparitas est, quod objectum visus corporei sit quid compositum & potentiale, unde potest videri secundum aliquid absquò eo quod totum videtur; at Deus est actus purus carens omni potentialitate, & compositione, unde repugnat aliquid Dei clarè, & intuitivè videri, & non totum quod est in Deo, ut dicitur est.

Ad 3. probationem, R. Attributa divina secundum quod sunt in re non esse Dei proprietates, sed ejus prædicata essentialia & constitutiva; omnia enim in Deo sunt actus purus unus, & simplex: dicuntur autem proprietates juxta modum nostrum concipiendi dumtaxat. Quantum ad relationes, dato non esse prædicata constitutiva divinæ essentiae, sunt saltem ejus termini, & modi essentialiter pertinentes ad infinitam ejus eminentiam, & fecunditatem; de Deo enim prædicantur essentialiter, & in ipsa ejus essentia identificantur, ut dixi alibi: consequenter implicat Deum videri quidditative, ut est in se & in re, & hæc omnia non videri.

Instabis 1. contra 1. solutionem. In illo signo priori, quo concipimus Patrem, antequam generet Filium, concipimus Beatum; atqui pro tunc nondum concipitur esse Filius, aut Spiritus sanctus: ergo essentia divina est sola objectum beatitudinis.

R. 1. solutione communi, D. Min. Atqui pro tunc non concipitur esse Filius, & tamen est, C. Min. Non concipitur, nec est Filius, N. Min. eodem enim instanti in quo est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, cum sint ab æterno cum Patre, & eandem cum illo habeant essentiam. Quod autem nos concipiamus primam personam esse, antequam concipiamus generationem, id provenit ex eo, quod non possumus perfecte assequi modum divinæ generationis. Undè illud instans non est instans in quo & durationis, sed instans a quo & originis, sicque

qua parte rei Pater non est beatus absquò Filio & Spiritu sancto.

R. 2. Cum Joann. a S. Thomæ, D. eandem Min. Atqui pro tunc non concipitur esse Filius, ut terminus dicitur & productus per cognitionem notionalem, C. Min. Non concipitur esse Filius, ut objectum cognitum per cognitionem essentialiam, N. Min. Hæc enim cognitio Patris est virtualiter duplex: ad beatitudinem sufficit cognitio essentialis Verbi, non requiritur notionalis seu generativa, siquidem Filius & spiritus sanctus sint Beati, & tamen non cognoscunt Patrem cognitione notionali & generativa.

Instabis 2. Si essentia divina non possit beatificare præcisè a personis, non esset summum bonum: ergo. Prob. Ant. De ratione summi boni est beatificare: ergo.

R. N. Sequelam. Ad probationem, D. Ant. De ratione summi boni est beatificare eo modo, quo est a parte rei, C. Ant. Aliiter, quam sit a parte rei, N. Ant. Quia visio beatificans est intuitiva rei, ut est a parte rei & salutaris appetitus, ut dicitur est; quod non esset, si non videret Deum, ut est in se & existit a parte rei. Quod ergo essentia divina sine personis non possit beatificare, non provenit ex imperfectione, sed ex summa ejus simplicitate & puritate, quas personas essentialiter in re sibi identificata.

Instabis 3. Deus creat ut unus, & non ut trinus: ergo beatificat ut unus, & non ut trinus.

R. N. Conseq. Disparitas est, quod actio creativa pertinet ad divinam potentiam, quæ Deo convenit ratione essentiae, & hoc titulo est communis tribus personis; unde ratio personæ nihil confert ad influentiam activam, sed se habet tantum concomitantè. Ad visio beatifica respicit Deum ut est in se & in re; Deus autem in se & in re est unus & trinus.

Obijces 2. Sufficit distinctio virtualis, ut essentia divina communicetur Filio, & non Paternis. Item ut persona Filii communicetur humanitati, & non persona Patris. Item ut humanitas immediate unatur personæ Verbi, & non naturæ: ergo a fortiori, ut videatur essentia sine personis, aut una persona sine altera; quia solet fieri major præcisio per intellectum, quam per communicationem.

R. N. Conseq. Disparitas est, quod visio Dei in Beatis, cum sit intuitiva, quidditativa, & beatifica, ut dicitur est, debeat videre Deum ut est in se secundum omnia, quæ sibi identificat; videtur autem est in se & in re trinus in personis. At vero communicatio non fit necessario de re secundum omnia, quæ sibi essentialiter identificat, sed secundum capacitatem vel exigentiam termini, cui communicatur. Porro Filius, quamvis sit capax essentiae divinæ, non est tamen capax paternitatis, quia ut sic ipsi relative opponitur. Humanitas autem Christi non exigit subsistere per tres subsistentias; unde non est mirum, si persona Filii illi communicatur, non communicatis aliis personis. Tandem eadem humanitas unatur Verbo, ut per illam subsistat; ad quod non requiritur, quod immediate unatur naturæ, sed sufficit, quod immediate unatur personæ. Igitur essentia divina, ut virtualiter distincta a paternitate, communicatur Filio, qui aliunde incapax est paternitatis. Persona Filii, ut realiter distincta a persona Patris, communicatur humanitati. Et persona Filii iterum, ut distincta virtualiter a natura, communicatur immediate humanitati. At verò tam essentia divina, quam personæ videntur a Beatis, non ut virtualiter aut realiter distinctæ, sed sicut sunt in se & in re.

Instabis: Essentia divina potest perfecte intelligi, non intellectu Patre aut Filio: ergo. Prob. Ant. Essentia divina habet suam intelligibilitatem formaliter distinctam a paternitate vel filiatione: ergo.

R. N. Ant. Ad probationem, N. Ant. Quia tam essentia, quam personæ sunt intelligibiles & visibiles a Beatis, per unam essentiam divinam gerentem vices speciei intelligibilis respectu omnium, quæ sunt in Deo.

Urgebis: Non implicat, quod essentia divina se solam repræsentet intellectui Beatorum, non repræsentatis personis: ergo.

R. D. Ant. Non implicat, &c. in visione obscura & imperfecta, transeat Ant. In visione intuitiva, quidditativa, & beatifica, qualem habent Beati, N. Ant. Patet ex dictis.

Repones: Personæ & attributa sunt tantum objectum secundarium visionis beatificæ; atqui non implicat, videri objectum primarium, non visio secundario: ergo.

Respondet Cajetanus, Sylvius, & alii quidam, negando Maj. Contendunt namque, ex essentia & personis integrari unum objectum primarium visionis beatificæ; neque obstat, quod deitas sit id, quo Deus intelligitur seu videtur; non enim, inquit, quo & quod sunt duo objecta, quorum unum sit primarium, alterum secundarium, sed ex utroque quasi integratur unum: sic v. gr. objectum primarium cognitionis Angelicæ non est sola ejus essentia, sed ipsemet Angelus. Sic, si Deus existet.

Theol. Billuart. Pars Prima.

teret in una tantum persona seu supposito, objectum primarium visionis beatificæ non esset sola deitas, sed etiam hic Deus, seu illud suppositum, in quo existeret; ita similiter objectum primarium visionis beatificæ non solum est deitas, sed deitas subsistens in tribus personis.

Respondent alii, data Maj. distinguendo Min. Non implicat, videri objectum primarium sine secundario, si secundarium non sit necessario connexum cum primario, C. Min. Secus, N. Min. Porro in subjecta materia essentia divina, cum essentialiter sibi identificet personæ & attributa, habet cum eis necessariam connexionem, unde non potest videri ut est in se sine illis. Utraque solutio est bona.

Replicabis: Essentia est quid absolutum, persona quid relativum; atqui absolutum potest cognosci sine relativo in creatura ipso non dependeat: ergo.

R. D. Min. Absolutum potest cognosci sine relativo in creatura, C. Min. In divinis, N. Min. Intelligendo de cognitione intuitiva, & quidditativa. Disparitas est, quod in divinis absolutum, & relativum realiter, & essentialiter identificantur sine ulla distinctione ex natura rei, secus in creatis. Nec inde sequitur, quod essentia dependeat a personis, sed tantum quod intrinsicè connectatur cum illis.

§. II. Utrum videntes Deum videant omnia, quæ Deus facit, & facere possit?

Nota, creaturas dupliciter in verbo posse videri, formaliter & causaliter: formaliter, quando videntur eadem visione & eodem lumine, quibus verbum ipsum videtur, ita tamen quod verbum sit proxima ratio creaturas videndi, adeoque in se visum tanquam medium ducat in cognitionem creaturarum. Causaliter creaturæ dicuntur videri in verbo, quando non videntur ipsa visione, nec ipso lumine, quibus verbum videtur, sed per revelationem specialem, seu species infusas extra verbum, communicatas tamen vi status beatitudinis, seu intuitu, & ratione visionis beatificæ, unde dicitur hæc visio causalis in verbo, improprie quidem in verbo, siquidem sit proprie extra verbum. Priorem cognitionem Augustinus vocat *Matutinam* posteriorem *Vesperinam*.

Questio est igitur 1. Quid de creaturis Beati videntur? 2. Quomodo eas videant, an formaliter in verbo, an causaliter? Primam questionem hoc §. resolvemus. Secundam §. sequenti.

Dico 1. Beati non vident omnia, quæ Deus facit, & facere potest. (*Hic art. 8. o.*) Est communis.

Prob. 1. ex Scriptura. Nemo, sive Angelus, sive Beatus, scit diem judicii, Matth. 24 Angelus Persarum, & Angelus Judoorum ignorabant voluntatem Dei circa liberationem Judoorum, Daniel. 10. Ergo.

Prob. Si Beati viderent omnia, quæ Deus facit, & facere potest, vel ea viderent in verbo, vel extra verbum; non primum, quia comprehenderent Deum, ut probavimus infra. Non secundum, quia nulla est ratio, ob quam Deus omnia præterita, præsentia, futura, & possibiliter Beatis, cum horum omnium cognitio non requiratur ad eorum beatitudinem. Adde, quod juxta probabilem sententiam ad id requiretur lumen creatum infinitum, ut dicemus infra.

Dico 2. Beati vident de creaturis præteritis, presentibus, & futuris, quidquid specialiter, & præcipue eos spectat. (*3. p. q. 10. art. 2. o.*) Ita communiter cum Auctore.

Prob. 1. Concilium, vulgò dictum Senonense, sed dicendum potius Parisiense a loco, ubi fuit celebratum ann. 1528. in decretis fidei c. 13. dicit, *Beatis pervium esse... omniforme illud divinitatis speculum, in quo, quicquid eorum inverit, illucescat.* Adstrulantur SS. Patres, ut patebit ex sequentibus.

Prob. 2. Beatitudo debet perfecte satiare omne desiderium justum, & honestum Beatorum; atqui Beati justè, & honestè desiderant scire, quæ illos specialiter spectant: ergo.

Quæ verò Beatos specialiter spectant, assignare in particulari, non est facile. Pro quo observant communiter Theologi, beatum posse tripliciter considerari. 1. Ut est elevatus ad ordinem gratiæ. 2. Ut est pars Universi. 3. Ut est talis persona publica, vel privata, puta Papa, Rex, Fundator Religionis, Paterfamilias, &c. censentque, ea omnia videre, quæ juxta exigentiam istius triplicis status eum specialiter spectant. Hinc

Ex 1. capite, quatenus scilicet est elevatus ad ordinem gratiæ, videt mysteria fidei, quæ credit in via, scilicet Incarnationis, Resurrectionis, Redemptionis, luminis gloriæ, gratiæ, prædestinati, &c. & eo maxime quod visio beatifica succedit fidei, & sit ejus merces, juxta illud Ps. 47. *Sicut audierimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum:* & illud August. l. 20. de Civ. c. 21. *Ibi videbimus Deum, & omnia illa, quoniam non videmus, credentes autem... cogitamus.* Adde, quod quilibet videre desiderat quæ credit.

Non est tamēn necesse, ut videant illa mysteria quoad omnes circumstantias loci & temporis, ut patet de die iudicii, quem nec Angeli norunt, (*Hic q. 57. art. 3. ad 1.*) & de tempore, ac variis aliis circumstantiis Incarnationis, quas Angeli non nisi successu temporis noverunt, licet illud quoad substantiam statim noverint.

Neque etiā necesse est, quod videant omnia individua, in quibus complectitur illa mysteria & ordo gratiæ, si plura sint, id enim non videtur requiri ad Beatitudinem; secus, si esset unicum aut plura specialia, ut humanitas Christi, beata Virgo respectu Incarnationis: undē, quamvis cognoscant mysterium Eucharistiæ, non tamēn vident omnes hostias consecratis: licet cognoscant mysterium Resurrectionis, non tamēn vident aut videbunt omnes resurrecturos, maxime damnatos; nam quoad Beatos verisimilius est, quod omnes se & suas invicem cogitationes videant, seseque diligant tanquam consortes ejusdem beatitudinis.

Ex 2. capite, quatenus scilicet Beatus est pars Universi, videtur omnia genera & species rerum, consequenter omnes Angelos, quia omnes, secundum S. Thom. specie differunt: item & præcipuas Universi partes, coelum, elementa, stellas, & alia similia, quæ per se & principaliter pertinent ad ornamētum, & integritatem mundi. Undē S. Bernardus Serm. de triplici genere bonorum num. 7. exclamat: *O sapientia, quia tunc omnia, quæ in celo & quæ in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes!* Quantum vero ad individua & singularia, quæ apud nos facta sunt, sunt aut fieri, item & secreta cordium, quædam videt; ea scilicet quæ necessaria sunt ad cognitionem specierum, aut quæ ipsam præcipuam, ut modo dicam; non tamēn omnia, quia, cum non sint præcipue partes, Universi, nec per se intenduntur, sed proprie conservationem speciei, nec alio titulo speciali, ut suppono, ipsam spectant, curiositatis potius foret quam rationis illorum visionem desiderare. (*Hic art. 8. ad 4.*)

Ex 3. capite, Beati vident omnia, aut saltem præcipua, quæ pertinent ad suum statum, sive sint actus liberi, sive necessarii sive sint naturales, sive supernaturales, sive contingant in hac vita, sive in altera. Sic S. Petrus, & probabilis etiā Papa vident, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, Rex ad Regnum, Patriarcha Religionis ad Religionem, Paterfamilias ad suam familiam, Sec. Item vident omnes preces, quæ ad ipsos diriguntur, cum hæc specialiter ipsos ut intercessores spectent. Hinc fit, quod beatissima Virgo longè plura cognoscit, quam exteri Sancti, præsertim quoad preces & cogitationes hominum, quia, cum sit specialis eorum advocata, debet in pluribus statum illorum cognoscere, ut possit opportune eis opulari. Non videtur tamēn, quod cognoscant omnes sive cogitationes, sive actus liberos hominum, cum ista ad eam specialiter non spectent, (*3. p. q. 10. art. 2. o.*) idque sit privilegium Christi, qui, cum sit constitutus Juxta omnium hominum, debet cognoscere omnes iudicandos, omnes & singulos eorum actus ac cogitationes cum omnibus circumstantiis.

Quantum ad Decreta Dei libera secundum terminationem defectibilem, quam habent ad creaturas, quædam cognoscunt Beati, non omnia; quia quædam tantum, & non omnia spectant specialiter eorum statum, & consolationem rationabilem. Dixi: *Decreta Dei libera secundum terminationem, quam habent ad creaturas.* Quia, si spectentur secundum realitatem, quam habent in Deo, cum sic sint ipse Deus, certum est Beatos ea omnia cognoscere; sicut cognoscunt alia, quæ sunt in Deo formaliter, ut jam superius notavimus. Quantum ad res possibles, dicam modo.

Dices 1. Ex dictis sequitur, quod minus sanctus possit esse beator alio sanctiore, si nempe plura ad ejus statum pertineant, quam ad statum sanctioris. Consequens videtur absurdum: Ergo. Prob. sequitur eo perfectior est visio beatifica, quo plures creaturæ videntur in verbo: ergo.

R. N. Sequelam. Ad probationem, D. Ant. Eo perfectior est visio beatifica, quod plures creaturæ videntur in verbo vi luminis gloriæ, ut penetrant essentiam divinam, C. Ant. Vi luminis gloriæ, ut habentis vim manifestandi per revelationem ad instar luminis prophetici, vel speciei infusæ extra verbum, N. Ant. Hoc autē alterutro modo Beati possunt videre plures creaturas, & ista plurimum visio non arguit majorem beatitudinem essentialē. Adde, quod Deus ista plura visa a minori sancto possit compensare in majori per plurimum aliorum visionem.

Dices 2. Angelus Persarum & Angelus Judæorum Dan. 10. ignorabant spectantia ad ipsos, nimirum dispositionem futuram populorum ipsi commissorum: ergo Beati non vident, quicquid ipsos specialiter spectat.

R. N. Conseq. in sensu conclusionis; est enim intelligenda de spectantibus Beatos præcipue, seu quoad substantiam, & non de omnibus omnino singularibus circumstantiis, præsertim de omnibus rationibus divini consilii circa illa,

Dico 3. Beati vident creaturas possibles, non omnes, sed aliquas & tanto plures, quanto perfectior est visio beatifica. (*Hic art. 8. o.*) Est communis cum Auctore.

Primi pars, quod non vident omnes creaturas possibles, patet ex prima conclusione. Prob. 2. pars. Deus videndo se comprehensivè videt in se omnes creaturas possibles: ergo Beati videndo Deum quidditative vident in eo aliquas creaturas possibles. (*Ibid.*) Prob. 3. pars. Quanto perfectius penetratur causa, tanto plures ex ea noscuntur effectus possibles: sicut qui perfectius novit aliquod principium, eo plures ex eo noscit conclusiones deducibiles: ergo quanto perfectior est visio Dei, qui est causa omnium, eo plures in eo noscuntur effectus possibles. Hæc rationes, ut vides, supponunt creaturas videri in Deo formaliter, ut in causa, de quo §. sequenti.

§. III. Quomodo Beati vident creaturas in Deo?

Reole duplicem visionem in verbo, formalem & causalem, de qua in capite præcedentis §.

Nota insuper, duplex medium cognitionis distingui; unum quod prius cognitur ut quod dicitur in cognitionem alterius, & dicitur medium in quo: sic sunt præmissæ respectu conclusionis, causa respectu effectus, effectus respectu causæ, signum respectu signati. Aliud est, quod facit cognoscere absque eo, quod prius cognoscatur ut quod, sed solum representando objectum, sic est species impressa, quæ non debet prius cognosci ut quod: sed est tantum representandi objectum: dicitur medium incognitum, seu medium quo.

Nota iterum, distingui duplex esse creaturatum; unum in Deo, quod est eminentiale, & illud est ipse Deus, proit eminenter continet creaturas; aliud proprium & formale, quod habent creaturæ in se ipsis, si existant, vel habere possunt, si sint possibles.

Quæritur itaque, an creaturas, quas vident Beati, vident in verbo formaliter, an tantum casualiter. Item, si in verbo formaliter, an in illo tanquam in medio quo incognito, vel tanquam in medio quod prius cognito, tanquam effectus in causa & quoad proprium & formale esse? Pro quo

Dico 1. Beati vident aliquas creaturas in verbo formaliter, aliquas casualiter, seu extra verbum vi status beatitudinis, omnes quoad proprium & formale esse. Est Auctoritas in pluribus locis in fra designandis.

Prima & secunda pars est D. Augustini l. 4. de Gen. ad litt. c. 23. ubi distinguit in Angelis duplicem cognitionem: unam *matutinatam*, qua cognoscunt creaturas in verbo; alteram *vesperinatam*, qua eas cognoscunt extra verbum.

Prob. 1. & 3. pars. (*Infra q. 58. art. 7. o.*) Cognitione Beatorum est exemplata a cognitione, qua Deus se ipsum cognoscit, est enim ejus participatio & imitatio, qua sumus illi similes juxta Scripturam Joann. 3. atqui Deus se ipsum cognoscendo cognoscit in se ipso creaturas secundum esse earum formale, ut fusiis prohibetur postea: ergo Beati, videndo Deum, vident in illo creaturas secundum esse earum formale, non quidem omnes, quia ipsum non comprehendunt, sicut ipse se comprehendit, sed plures, vel pauciores juxta mensuram luminis gloriæ, & dispositionem divine voluntatis, ut dicam infra. Adde pro 3. parte, quod si Beati non viderent creaturas nisi secundum esse eminentiale, quod habent in Deo, eas proprie non viderent, cum istud esse eminentiale nihil sit aliud quam ipse Deus. Longa series testimoniorum ex S. Thom. videri potest apud Sylvium hic art. 9.

Prob. 2. pars. (*Hic art. 10. o.*) Ea, quæ Beati cognoscunt in verbo formaliter, simul ab initio cognoscunt & non successivè, utpotè unico intuitu & unica specie, ut dicam infra; atqui Beati quædam non cognoverunt simul ab initio, sed successivè, sic Daniel 10. Angelus Persarum & Angelus Judæorum ignorabant liberationem Judæorum, qua de causa litigabant, non quidem contrarietate voluntatum, inquit S. Thom. sed rerum. Sic nullus Beatorum nunc cognoscit diem iudicii, quem postea noscet, ut jam dixi. (*Infra q. 57. art. 5. ad 1.*) Sic Angeli non sciverunt ab initio quasdam circumstantias passionis Christi, quas postea cognoverunt: ergo.

Dico 2. Beati vident creaturas in verbo, non tanquam in medio quo, seu specie illa immediate representante, sed tanquam in medio in quo prius cognito, seu tanquam in causa efficienter & exemplari. Ita ut Deus, cognitus sub ratione causæ, sit medium ducens in creaturatum cognitionem, eo modo quo nunc per causam cognoscimus effectum; cum hæc differentia, quod causæ, & effectus notio in oculis habeatur unico intuitu seu actu, propter perfectionem luminis gloriæ & unitatem speciei.

Prob. utraque pars simul. Eo modo creaturæ cognoscuntur in essentia divina, quo modo in ea representantur; atqui essentia divina ut generis vices speciei respectu intellectus Beatorum

10-

torum non representant immediate creaturas, sed se ipsam, & in se ut in causa efficiente, & exemplari seu ideali creaturas: ergo. Prob. Minor 1. Si essentia divina representaret ex æquo, & æque primario se, & creaturas, non esset potius Deus in esse intelligibili quam creatura, quod est absurdum. 2. Representatio immediata unius per aliud fit ratione vel similitudinis, vel identitatis; atqui essentia divina est in infinitum dissimilis creaturis, neque est identificata cum illis, sed continet illas eminentialiter tanquam causa: ergo.

Prob. 2. Cognitione Beatorum, ut modo dicebam, est exemplata a cognitione, qua Deus se ipsum cognoscit; atqui Deus cognoscendo se ipsum, cognoscit in se creaturas, non tanquam in specie illas immediate representante, sed tanquam in causa eas virtualiter eminentialiter continente, ut infra fusiis dicemus: ergo. (*Infra quæst. 58. art. 7. o.*)

Sullragatur August. l. 11. de Civit. c. 7. dicens: *Cognitionis creaturæ in se ipsa decoloratur est, ut ita dicam, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur velut in arte, per quam facta est.*

Dices 1. Si Beati viderent aliquas creaturas in verbo, omnes viderent; atqui fusiis consequens: ergo. Probatur sequela: non est ratio, cur una potius videatur quam altera, cum omnes æqualiter contineantur in essentia divina, ut in causa: ergo.

R. N. Sequelam. Ad probationem, N. Et assigno rationes, ob quas aliquæ creaturæ videntur in verbo, & non aliæ, neque omnes. Prima est ex parte potentie, scilicet luminis gloriæ, quod cum sit finitum, non contert vim videndi omnia; sed plura vel pauciora secundum quod est magis vel minus intensum. Altera est ex parte objecti, scilicet essentia divine, ut est species intelligibilis, quæ, quamvis sit omnium representativa; ac tamen non representat nisi tot; quot intellectus habet vim cognoscendi juxta mensuram luminis gloriæ. Ratio autē, cur hæc potius quam illa representent, est beneplacitum divine voluntatis. Non enim divina essentia est necessario representativa creaturarum in se ut in causa efficiente, & exemplari, sed liberè, & pro sua voluntate representat, quas vult, & quibus vult. Unde, sicut liberè, & pro beneplacito utitur sua omnipotentia ad hæc potius quam illa producenda, ita liberè, & pro beneplacito, utitur sua essentia, ut specie intelligibili, ad hæc potius quam illa, his potius quam illis representanda: sic tamēn, ut non excedat virtutem luminis gloriæ. Jure autē præsumimus velle representare unicuique quod specialiter, & præcipue ipsum spectat, ut diximus.

Dices 2. Essentia divina est omnino absoluta, & independentes a creaturis, nec ad ullam ex se refertur: ergo non potest esse medium, in quo cognito creaturæ cognoscuntur.

R. D. Ant. Essentia divina est absoluta a creaturis, & tamen continet illas eminenter ut causa, C. Ant. Et non continet illas eminenter, N. Ant. & Conseq. Ut enim aliquid sit ratio cognoscendi aliud, non est necesse, quod habeat proprie dictam relationem ad illud; nec enim unum relativum est ratio cognoscendi correlativum, cum sint simul natura, & cognitione: sed sufficit, quod unum continet aliud, sique inter ea sit conexio productentis, & producti.

Subsumtus. Atqui essentia divina non continet totum, quod est in creaturis: ergo. Prob. Subsumptum: non continet id, quod creaturæ distinguuntur a Deo; ergo.

R. N. Subsumptum. Ad probationem, D. Ant. Essentia divina non continet formaliter id, quod creaturæ distinguuntur a Deo, C. Ant. Non continet eminenter, subdistinguo: non continet quoad negativum, C. quoad positivum, N. Totum enim positivum, quod importat id, quod creaturæ distinguuntur a Deo, est in illo virtualiter, & eminenter. Et ut præoccupetur instantia; ad hoc ut creaturæ cognoscantur in Deo secundum suum esse formale, non est necesse, quod continetur in Deo formaliter; quia cognitio non sistit in modo essendi, quem habent in Deo, sed extenditur ad eum, quem in se ipsis habent, aut habere possunt. Unde, quamvis ex parte medi cognoscantur in alio, ex parte tamen objecti cognoscuntur, ut sunt in se ipsis; ut latius dicemus infra de Scientia Dei.

Dices 3. Beati non vident in verbo decreta Dei libera: ergo nec creaturas, quarum Deus non est causa nisi mediatis suis decretis liberis. Prob. Ant. 1. Quia actus liberi voluntatis nostræ non cognoscuntur ex cognitione quiddiativa, imò nec comprehensiva voluntatis nostræ. Unde Angeli, qui illam comprehendunt, non cognoscunt cogitationes nostras, juxta illud 1. Cor. 2. *Quis enim hominum cœt (idem de Angelis) que sunt hominibus, nisi spiritus hominibus, qui in ipso est?* 2. Quia libera Dei decreta non habent necessitatem cum essentia divina connexionem; poterant enim non esse: quando autem predicatum non habet necessariam connexionem cum subiecto, predicatum non potest cognosci ex cognitione subiecti: ergo.

R. Decreta Dei libera quantum ad terminationem defectibilem ad creaturas, de quo est quæstio, eo modo cognosci a Theol. Billuart. Pars Prima.

Beatis in verbo, quomodo cognoscuntur ipsæ creaturæ, quæ sunt illorum termini, scilicet vi luminis gloriæ, & ipsa visione beatifica, non absolute, & necessario, sed supposita tanquam conditione lege, & voluntate Dei, qua vult ea Beato manifestare, ut dixi in solutione 1. argumenti; quæ manifestatio est revelatio quædam, non extra verbum, sed in ipso verbo facta: (*Infra q. 107. art. 1. o.*) sicut Angelus A eadem cognitione, qua cognoscit substantiam Angeli B, etiā cognoscit conceptus ejus liberos, hoc ipso quo Angelus B illos ordinat, & vult esse manifestos Angelo A; eaque ratione tollit occultationem moralem, quam habet cogitatio interna ex eo quod libera est. Non ergo cognoscuntur a Beatis in verbo decreta Dei libera, quia habent necessariam connexionem cum essentia divina, sed quia sunt in Deo, & ex ejus voluntate manifestata habentibus vi luminis gloriæ sufficientem virtutem ad ea videnda. Et sic patet responsio ad instantias. Hanc materiam cum variis aliis objectionibus accuratius tractabimus ad quæst. 14. de Scientia Dei, & in Tract. de Incarnatione, ubi de Scientia beata Christi.

§. IV. Utrum implicet, omnia, quæ Deus facit, & facere potest, cognosci a Beatis?

Dico 1. Implicet, omnia, quæ Deus facit, & facere potest, cognosci a Beatis formaliter in verbo ut in causa, secundum omnes habitudines, modos, & rationes eorum possibles. (*Hic art. 8. o.*)

Prob. Cognoscere in causa omnes effectus possibles secundum omnes suos modos, & rationes vi cognitionis causæ est ipsam causam comprehendere; atqui implicat, Deum comprehendere a Beatis, ut probatum est: ergo. Prob. Maj. Cognoscere omnes effectus possibles vi cognitionis, & penetrationis causæ est cognoscere, quousque causa potest, & non ultra: ergo est eam adæquate cognoscere quantum cognoscibilis est, adeoque comprehendere. (*Ibid.*)

Dices 1. Inde sequi tantam, solam comprehensionem Dei extensivam, quæ non repugnat, non verò intensivam.

R. N. Assumptum. Implicat enim, omnia possibilia quoad omnes modos, & rationes illorum (hæc enim sunt etiā possibilia) cognosci in essentia divina, ita ut ipsa sit ratio illa cognoscendi, quin ipsa penitus penetretur, & cognoscatur quantum est penetrabilis, & cognoscibilis intensive; ita ut nec a Deo intensius, & melius penetretur, & cognoscatur, alioquin falsa esset ejus cognitio, cum ultra omnia possibilia non restet nisi impossibile. Sicut implicat, omnes omnino conclusiones in aliquo principio virtualiter contentas in eo cognosci, & illud non cognosci, quantum est intensive cognoscibile.

Instabis: Beati cognoscunt Filium, & Spiritum sanctum, qui sunt terminus adæquatus potentie generativæ Patris, & tamēn illam non comprehendunt. Item anima Christi videt in verbo omnia, quæ Deus cognoscit per scientiam visionis, & tamēn illam non comprehendit: ergo similiter.

R. N. Conseq. Ad 1. disparitas est, quod Beati non cognoscant omnes modos, & eminentias Filii, & Spiritus sancti, sicut Beatus cognosceret omnes modos, & perfectiones omnium possibilibus. Unde Beati, videndo Filium, & Spiritum sanctum, non vident terminum adæquatum potentie generativæ; cognoscendo autē omnia possibilia cognoscere terminum adæquatum omnipotentia. Ad 2. disparitas est, quod omnia existentia, & futura non sint terminus adæquatus scientiæ visionis; quia Deus posset plura producere, & videre; omnia autē possibilia sunt terminus adæquatus omnipotentia.

Dices 2. S. Greg. l. 4. dialog. c. 33. ait: *Quid est quod non vident, qui videntem omnia vident?* ergo.

R. Quod S. Gregorius loquitur quantum ad sufficientiam objecti, scilicet Dei, quod, quantum in se est, sufficienter continet omnia: non sequitur tamēn, quod videns Deum omnia cognoscit, quia ipsum non perfecte comprehendit. (*Ibid. ad 1.*)

Dices 3. Qui intelligit id quod est majus, intelligere potest id quod est minus; sed omnia, quæ Deus facit, & facere potest, sunt minus, quam ejus essentia: ergo.

R. Quod, licet sit majus videre Deum quam omnia alia, tamēn majus est sic videre Deum, quod omnia in eo cognoscantur, quam videre sic ipsum, quod non omnia, sed pauciora vel plura cognoscantur in eo. Ostensum est enim, quod multitudine cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum magis vel minus perfectum. (*Ibid. ad 3.*)

Dico 2. Probabile est, non implicare omnia possibilia cognosci a Beatis extra verbum.

Prob. Si implicaret, ideò esset, quia vel comprehenderetur essentia Dei, vel infinita foret cognitio; atqui ex neutro capite implicat: ergo. Prob. Minor pro prima parte. Ex eo, quod omnia possibilia cognoscere extra essentiam divinam, non sequeretur ejus comprehensio; quia divina essentia est cognoscibilis ut causa omnium, non sic autē cognoscere: ergo

I 2
non

non cognosceretur quantum est cognoscibilis, adeoque non comprehenderetur, sed tunc tantum cognosceretur ut omnium causa a posteriori per effectus, & non in se ipsa. Prob. Minor pro 2. parte. Cognito dicitur infinita ex infinitate sui objecti primarii, primarium autem objectum cognitionis est essentia, seu quidditas: si ergo objectum non sit infinitum in essentia, sed in alio genere, puta quantitate, non ideo cognitio erit infinita. Omnia autem possibilia, etsi forent infinita in multitudine, essent tamen finita in essentia, seu quidditate, clauderentur enim sub certo genere, & differentia: & dato quod aliquid esset infinitum secundum essentiam, cognosceretur finito modo sicut Deus; quod non arguit infinitam cognitionem.

Potes, utrum sit absolute impossibile, Deum videri ut est in se, nulla visa in eo creatura?

R. Impossibile est absolute, Deum videri ut est in se, non visis in eo creaturis secundum rationem communem entis creabilis: quia Deus non potest videri ut est in se, quin videatur ejus omnipotentia, & eminentialis continentia creaturarum; quam implicat cognosci, non visa ratione entis creabilis.

Non videtur tamen absolute impossibile, Deum ut in se est cognosci, nulla visa in eo creatura in particulari: quia essentia Dei est omnino absoluta, & independens a qualibet creatura in particulari, potuit enim nullam creare: ergo nec implicat, quod videatur, nulla visa creatura in particulari, modo videatur ratio entis creabilis in communi: sicut non implicat quidditative cognoscere potentiam creatam, puta potentiam visivam, absque eo quod illius coloratum in particulari cognoscatur, modo cognoscatur in communi rationem colorati. Adde, quod creature non sint nisi objectum secundarium visionis beatificae: non implicat autem, objectum primarium videri sine secundario. Et ideo dicit S. Thomas, quod, si solus Deus videretur, qui est fons, & principium totius esse, & veritatis, ita repletur naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quaeretur, & videns Deum esset Beatus. Unde, cum quaest. 8. de verit. art. 4. ad 13. videtur supponere id esse impossibile, censet Doctiss. Sylvius, S. Doctorem esse intelligendum de impossibili secundum legem ordinariam, & presentem statum, non de impossibili secundum potentiam absolutam; siquidem hic eadem repetat absolute absque dicta clausula.

Si dicas, Beatum se saltem in Deo visurum, cum illum videret, & possideret ut suum ultimum finem. Respondet laudatus Sylvius, resolutionem esse intelligendam sub exceptione videtur, & ejus visionis, hoc sensu scilicet, quod non sit impossibile Deum videri, nulla visa creatura, quae non sit ipse videns, aut ejus visio. Censet tamen Serra, hanc exceptionem non esse necessariam, & posse Beatum videre Deum absque eo, quod ipsa visio videat in particulari Deum esse suum ultimum finem; sed sufficere ad eum quietandum, quod ipsa visio videat Deum esse finem omnis creaturae, & alia visione extra verbum cognoscat Deum esse suum finem ultimum in particulari.

ARTICULUS XI.

Resolvuntur quaedam leviores difficultates ad complementum quaestionis S. Thomae.

Quaeritur 1. Utrum ea, quae Beati vident, videant per aliquas similitudines?

R. sub distinctione: quae videntur in verbo formaliter, non videntur per similitudines, seu species proprias, sed per ipsam Dei essentiam, per quam Deus videtur; quia non videntur in propriis naturis, sed in Deo in quo praexistit eorum similitudo exemplaris seu idealis, & efficiens. Quae vero videntur in verbo casualiter, seu potius extra verbum, videntur per proprias species aut similitudines, propter oppositam rationem. (Hic art. 9. o.)

Quaeritur 2. Utrum ea, quae Beati vident in Deo, simul ab initio videantur?

R. sub eadem distinctione. Quae videntur in verbo formaliter, videntur simul; quia omnia videntur unico actu per unam speciem omnino invariabilem, tunc in representando, quam in essendo; scilicet per Dei essentiam. Unde Aug. ultimo de Trinit. c. 16. in fine dicit: Volubiles non erunt cogitationes nostrae ab aliis in alias euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus. Quae vero videntur in verbo casualiter per species proprias, & diversas, non videntur simul ab initio, sed successive, propter oppositam rationem. Et hoc ultimo modo, verisimile est, Beatos cognoscere preces ad se fusas; quia, si simul ab initio omnes omnium preces ad se fundendas viderent in verbo formaliter, jam cognoscerent diem iudicii; quia noscerent, qui sint futuri ultimi hominum, qui ipsos invocabunt, quae ultima eorum preces, quam ardentes in ipso conflagrationis mundi tempore, &c. (Ib. art. 10. o. & ad 2. & q. 8. de verit. art. 4. ad 14. & alibi.)

Quaeritur 3. Quae sit mensura visionis beatificae?

R. Visio beatifica mensuratur aternitate participata. (Hic quaest. 10. art. 5. ad 1. art. 3. ad 1. & 3. contr. gen. c. 61.)

Prob. Visio beatifica non mensuratur neque tempore, neque aetate, neque aternitate essentiali: ergo aternitate participata. Patet consequentia; quia non sunt aliae mensurae durationis rerum. Prob. Ant. Tempus est mensura durationis rei successive, & variabilis secundum esse, & operari: xvum est mensura rei invariabilis secundum esse, variabilis secundum operari: aternitas essentialis est mensura rei invariabilis secundum esse, & operari, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco; atqui visio beata non est ullo modo successiva aut variabilis ex intrinsecis; tum quia est tota simul; tum quia ejus principia scilicet lumen gloriae, & divina essentia gerens vices speciei non subjacent successioni aut variationi: est tamen variabilis ab extrinseco, sicut enim incipit esse, ita potest desinere, Deo suum concursum suspendente: imo, sicut est diversa in diversis, sic nihil repugnat, quin de potentia Dei absoluta in eodem subjecto minuat vel augetur: ergo.

Quaeritur 4. Utrum creature videantur in Deo, tanquam in speculo?

R. Id quandoque affirmari a D. Th. sed intelligendum est de speculo metaphoricè, & secundum quid; quatenus nempe essentia divina representat creaturas, quod facti speculum: non vero de speculo simpliciter, & proprie dicit; quia speculum proprie dicitur recipit species a rebus, non sic Deus.

Quaeritur 5. Utrum per rationem naturalem possimus in hac vita Deum cognoscere?

R. Nos non posse per rationem naturalem, cujus cognitio oritur ex sensibilibus, noscere Dei essentiam, seu quoad quid est; posse tamen cognoscere quoad an est, & quod sit prima omnium causa. Patet ex dictis hic, & alibi de existentia Dei. (Hic art. 18. o.)

Quaeritur 6. Utrum cognitio, quae habetur de Deo per gratiam, perfectior sit, & altior, quam ea quae habetur per rationem naturalem.

R. Affirmative; quia lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti, & aliquando phantasmata formantur divinitus in imaginatione hominis magis experimentata res divinas. (Ibid. art. 13.)

De tempore, quo Sancti donantur visione beata, dicemus in 1. 2. dum de ultimo fine.

ARTICULUS XII.

De Nominibus Dei D. Thom. Quaest. 13.

Cum ea, quae docet S. Thomas in 12. articulis quaestionis 13. parè tractentur in Scholis, praecipua per quasdam quaestiones breviter resolvemus. Unde

Quaeritur 1. Utrum possit imponi aliquod nomen Deo, quod ipsum ut est significet?

R. A nulla creatura possibili potest Deo imponi nomen, quod ipsum adequatè, & comprehensive significet: potest tamen ab Angelis, & Beatis, non a viatoribus imponi nomen, quod ipsum quantitative significet; possunt tandem a viatoribus plura ei nomina imponi, quae diversas ejus perfectiones imperfectè significent.

Tota haec responsio prob. hac ratione, fundata in Philosophia 1. Perihier c. 1. quod nomina non significant res nisi mediante conceptu imponentis, seu loquentis; sunt enim ejus conceptuum signa, & expressiones; & ideo mentitur, qui contra mentem loquitur: ergo nomina, dicta, vel imposita ab aliquo, tantum, & non magis quidditative rei significant, quam eam concipit. Subsumo; atqui nulla creatura possibilis potest adequatè, & comprehensive Deum cognoscere: Angeli, & Beati, non tamen viatores, ipsum quidditative cognoscunt: viatores tandem ipsum, & varias ejus perfectiones ex creaturis imperfectè cognoscunt: ergo. (Quaest. 13. art. 1. o.)

Hinc colliges 1. Deum dici ineffabilem, non quod de illo nullus sermo haberi possit, aut nullum nomen ipsi imponi queat a creaturis; sed quod a nulla creatura possit imponi nomen ejus naturae comprehensivum, nec a viatoribus ullum quod perfectè ejus quidditative significet ad sensum 1. & 2. partis responsionis.

Colliges 2. Quod, cum triplici via Deus a nobis cognosci possit. 1. per viam remotiōnis, dum ab eo removemus imperfectiones creaturarum. 2. per viam collectionis, dum omnes perfectiones dispersas in effectibus in eo tanquam in omnium causa colligimus. 3. per viam excessus, dum omnes perfectiones creaturarum ipsi modo eminentior, tribuimus; juxta hunc triplicem modum cognoscendi Deum tria nomina genera ei attribuiuntur. Juxta 1. modum, vocamus ipsum infinitum, incorporeum, immaterialem, immutabilem, impeccabilem, incomprehensibilem,

lem, &c. Juxta 2. modum, nominamus ipsum omnipotentem, primam causam, provisorem, gubernatorem generalem, &c. Juxta 3. modum vocamus ipsum supersubstantialem, superexcellenter, superpulchrum, superbonum, &c.

Quaeritur 2. Quae sint praecipua Dei nomina?

R. esse tria: scilicet, Deus, Qui est, Jehova seu Jehova. Quia ista tria nomina magis proprie quam cetera divinarum naturarum significant, non tamen eodem modo. Deus significat naturam divinam simpliciter, seu ut intelligentem; Qui est, ut subsistentem; Jehova, ut incommunicabilem, & singularem, quasi istum Deum. (Ibid. art. 8. & 12.)

Porro hoc nomen Jehova, dictum Tetragrammaton, seu Quadrilitterum, quod constat quatuor literis, Jod, he, vau, he, ita sacrum ac venerabile erat apud Hebraeos, eo quod existimarent illud esse proprium, & essentiale, ut nunquam vel raro illud pronuntiarent: sed cum inter legendum occurreret, loco illius, ex consuetudine recepta a majoribus, ordinariè usurpabant Adonai, quod significat Dominum. Praeter autem hac tria assignata nomina sunt alia plura minoris notae nomina de Deo imposita apud Hebraeos, quae referunt Dionys. Hieron., & alii.

Id notari dignum observat Gonet, apud omnes formae gentes Dei nomen esse Tetragrammaton, seu quatuor literis constans. Sic apud Hebraeos Jehova, apud Graecos Theos, apud La-

tinios Deus, apud Gallos Dieu, apud Italos Iddio, apud Hispanos Dios, apud Germanos, Anglos, & Flandros Coth, seu Cothi, apud Aegyptios Theu, apud Persas Syre, apud Magos Orsi, apud Armenos Vors, apud Arabes, & Turcis Alla.

Quaeritur 3. Utrum omnia nomina dicta de Deo sint synonyma?

R. Negative. (Ib. art. 4. o. Ib.) Prob. 1. Nomina synonyma sunt, quae eandem rem, & sub eadem ratione, seu eodem conceptu significant, ut ensis, gladius, vestis, indumentum: cum etiam nomina rem significant, median- te conceptu, primum significatum est conceptus, ultimum res ipsa; consequenter quando plura nomina significant eandem rem sub diversis conceptibus seu rationibus, non habent idem significatum saltem primum, & immediatum; atqui licet plura Dei nomina eandem rem significant, eam tamen significant sub diversis rationibus, & conceptibus; bonitas enim in Deo non significat eandem rationem, eundemque conceptum, quem justitia; etiam in Deo bonitas, & justitia sit idem: ergo.

Confirmatur: plura synonyma sibi invicem adjecta negationem faciunt, sicut si dicitur: vestis indumentum, ensis gladius; atqui admitti non debet, quod Scriptura nugeatur, cum Jer. 33. dicit. Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi; similiter alibi: ergo. (Ib. arg. 3. c.)

DISSERTATIO V.

DE SCIENTIA DEI.

D. Thom. Quaest. 14.

Post considerationem eorum, quae pertinent ad divinam substantiam, restat considerandum de his, quae pertinent ad operationem ipsius; & 1. de his, quae pertinent ad operationes immanentes, quae sunt intelligere, & velle. Nec te moveat, quod dixerimus supra, intelligere divinum esse constitutum divinae naturae, siquae pertinet ad divinam substantiam. Hoc ipso enim, quo natura est, etiam pertinet ad operationem, quia natura est principium radicale operationis. Insuper, sic constituit naturam divinam, quod sit etiam operatio sub diversa ratione, ut explicuimus loco cit. & patebit ex dicendis. Igitur in hac Dissertatione dicemus de his, quae pertinent ad divinam intellectionem; in sequentibus de his, quae pertinent ad divinam voluntatem. (Q. 14. in proam.)

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sit Scientia?

Scientia dupliciter sumitur. 1. Latè pro omni cognitione intellectiva, certa, & evidenti. 2. Proprie pro cognitione certa, & evidenti rerum per causas. De utraque quaeritur, utrum sit in Deo?

§. I. Utrum sit in Deo cognitio intellectiva; eaque sit virtus distincta ab intellectu.

Dico 1. Est in Deo perfectissima cognitio intellectiva. (Q. 14. art. 1. o. & 1. contr. gen. c. 14.)

Est fide tradita in Script. Esther 14. Domine, qui habes omnium scientiam. Ps. 32. Intelligit omnia opera eorum. Roman. 11. O altitudo divinarum sapientiae, & scientiae Dei; & alibi passim.

Imò hac veritas ita ipso naturae lumine clarescit, atque in tantum apud gentes invaluit, ut ab intelligendo nomen Deo imponentur; nam, ut dicit Damascenus l. 1. de fide cap. 11. Theos, quod secundum Graecos Deum significat, dicitur a Theaste, quod est considerare, vel videre. (Contr. gen. cit.)

Jure quidem; Deum namque omnes intelligunt ens summè perfectum, primum motorem ordinatissimum, sapientissimum mundi rectorem, & primam omnium causam: verum absque intelligentia non esset ens summè perfectum, cum hac sit maxima perfectio: foret caecus motor, & rector imprudentissimus, nec esse omnium causa, cum non conferret nobis intelligentiam, qua careret. (Ibid.)

Praeter haec, unam aliam, & profundiorè rationem proponit hic S. Doctor; quae cum latè pateat, & a pluribus impugnetur, operè pretium est eam, in quantum fas erit, in bona luce collocare. Probat ergo S. Thomas vim cognoscendi, & intelligendi in Deo ex ejus immaterialitate: quod ut facilius intelligas,

Praenotandum est, (Hic q. 14. cit. & contr. gen. cit.) quod cognitio fiat quatenus cognitum est in cognoscente, non secundum entitatem, id enim est impossibile; sed secundum suam similitudinem, seu representationem; ita quod species rei cognita sit idem prorsus in esse intelligibili, quod est res cognita in esse emittivo; alioquin ipsam non representaret perfectè, & adequatè: consequenter species remanet forma rei cognita; nec fit forma cognoscentis, sed potius cognoscentis retinendo propriam formam, fit ipsa res cognita in esse intelligibili: unde dicit Philosophus, animam intelligentem fieri omnia. Et in hoc differunt cognoscentia a non cognoscentibus: non cognoscentia enim recipiunt formas alias entitativè, & corruptibiliter non tanquam formas aliarum rerum, sed tanquam suas amittendo proprias; sic v. gr. dum aqua recipit calorem ab igne, iste calor non est idem calor, qui est in igne, sed fit proprius aquae, quae simul amittit propriam formam, scilicet frigus. Sic, dum materia ligni recipit formam ignis, amittit propriam, & ista forma ignis, ab igne producente distincta, fit illi propria: At non sic cognoscentia: haec enim modo elevationi, incorruptibili, & magis immateriali recipiunt formas, non dico alias, sed aliarum rerum, quia eas recipiunt non amittendo proprias, nec ut suas, sed ut aliarum rerum: sic v. gr. dum cognosco lapidem, forma lapidis est in meo intellectu, & remanet forma lapidis in esse intelligibili, nec ego amitto meam, sed cum mea non lapis intelligibiliter. Quod totum his patet verbis complexus est S. Th. hic art. 1. cit. Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur; quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum; sed cognoscentis naturam est habere formam etiam rei alterius: nam species cogniti est in cognoscente.

Hic praenotatis, sic proponitur ratio D. Th. In tantum ens est cognoscitivum, in quantum est immateriale seu elevatum supra conditiones materiae; atqui Deus est in summo immaterialitatis, utpotè actus purus: ergo est summè cognoscitivum, consequenter intelligens, quia inter genera cognoscitivorum primum est intelligens. (Ibid.)

Prob. Maj. 1. cognitio fit, in quantum cognoscentis habet in se formam cogniti retinendo propriam, ut explicatum est in praenotamine; atqui, quod aliquid habet in se formam alterius retinendo propriam, provenit ex immaterialitate, & elevatione supra conditiones materiae: ergo. Prob. Min. Quod aliquid in se habeat propriam, & aliorum formas, provenit ex ejus amplitudine, & illimitatione: quod quid enim plura complectitur, eo magis est amplum, & illimitatum; atqui illa amplitudo, & illimitatio provenit ab immaterialitate, est enim materia, quae formam limitat, & impedit, ne communicetur ad aliud subjectum in eadem ratione individuali, quod est facere suam tantum: ergo. (Ibid.)

Prob. 2. prima Major. Major vel minor facultas cognoscenti